

Ecclesiis ejusdem Ordinis Canonice erectarum, quam in posterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horæ orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies, qui per duos quadrantes continuatos septem annos deinjunctis eis, aut alias quomodolibet debitis penitentibus, in forma Ecclesiæ consueta relaxamus; iis vero, qui devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horæ singulis diebus, & per totum mensē dabunt operam, & vere poenitentes, & confessi, Sanctis. Eucharistiæ Sacramentum sumperint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem, quam per modum suffragii Animabus Christianidelium, quæ Deo in Charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicare possint, Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus. Insuper, quod dicti Fratres, & Moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum Regula, & Constitutionum quolibet die tenentur, prædictas omnes Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, & consequi possint, & valeant, auctoritate, & tenore præsentium indulgemus.

Clausula.

§. 2. In contrarium facientes, non obstantibus quibuscumque, præsentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint, quodque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ipsi præsentibus si forent exhibite vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CV.

Dat. 22. Jan. 1726. An. 2.

Statuitur, ut Eremitæ S. Augustini Discalceati quarundam Congregationum in cantu, & habitu uniformitatem servant.

Facultas canendi horas Canonicas pro Provincia Franciæ eorumdem Fratrum facta fuit a Clem. XI. Conf. ed. 1701. Janu. 29. P. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa hujus Statuti.

CUM sicut accepimus, inter dilectos Filios Fratres Congregationum Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Indiæ, & Lusitaniæ Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum multiplex, & magna diversitas tam circa recitationem Divini Officii in Choro, quod in quibusdam Conventibus, & Regionibus cum cantu, seu nota, in aliis vero sine cantu, & nota celebratur, quam circa habitum Regularem introducta sit.

§. 1. Nos, ut uniformitas in his omnibus ex commissi nobis cælitus Pastoralis officii nostri debito fervetur, providere cupientes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, dilectis Filiis Vicariis Generalibus, Provincialibus, & Conventualibus Prioribus, ac universis Fratribus Discalceatis Ordinis, & Congregationum hujusmodi, ut tam ipsi, quam cæteri omnes, & singuli earumdem Congregationum Religiosi Professi uniformitatem in cantu Gregoriano, rasura, & caputio rotundo omnino servare teneantur, harum serie præcipimus, & mandamus.

Statutum præd. Motu proprio factum.

Clausula.

§. 2. Decernentes ipsas præsentibus litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu notari, impuguari, infringi, retractari, seu in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci posse. Sicut in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit, Ordinis, & Congregationum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in Judicio, & extra adhibeatur, quæ adhiberetur ipsi præsentibus, si forent exhibite, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Januarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno secundo.

CVI.

Dat. 22. Jan. 1726. An. 2.

Erigitur nova Provincia in Regno Poloniæ pro Fratribus Discalceatis SSimæ Trinitatis Redempt. Capt. Congregationis Hispaniarum.

Alia hujus Conf. ed. 1725. Jul. 9. P. 2. declaratur fuit Ordo B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum unus ex Ordinibus Mendicantium.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Admonet Nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiæ, ut paternam Christianidelium,

Exordium.

lium, qui de fluctibus Seculi in portum vite religiose confugerunt, curam gerentes felici illorum regimini, prosperisque in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Causa Erectionis Provincie.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Michael a S. Josepho Procurator Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum SSimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniarum, quod cum prædictus Ordo per Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lituaniæ feliciter benedicente Domino propagatus reperitur, itaut in dictis Regno, & Magno Ducatu, & in eorum præcipuis Civitatibus plures Conventus, in quibus regularis observantia viget, & Institutum Redemptionis Captivorum cum magna Populorum ædificatione mirifice floret, numerentur, ipse Michael Procurator Generalis ex omnibus Conventibus intra ditionem ejusdem Regni Poloniæ existentibus unam Provinciam, pro cujus gubernio in proximo generali Capitulo juxta regulam, & Constitutiones dicti Ordinis unus Minister Provincialis eligatur, qui eadem Jurisdictione, prærogativis, & privilegiis potiri debeat, quibus de jure, & consuetudine cæteri aliarum Provinciarum ministri Provinciales gaudent, summo opere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgeri de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Procuratoris Generalis.

§. 2. Nos igitur ipsum Michaellem Procureto-rem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie abolentes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium, qui relationem dilecti filii moderni Auditoris Venerabilis fratris Vincentii Archiepiscopi Trapezuntini nostri, & Apostolicæ Sedis apud Charissimum in Christo filium nostrum Augustinum Poloniæ Regem Illustræm Nuncii super præmissis ad eosdem Cardinales transmissam viderunt, & narrata attenderunt, consilio, prædictam Provinciam ex octo formulis Conventibus compositam sub titulo Sancti Joachim B. M. Virginis Genitoris auctoritate Apostolica tenore præsentium erigimus, salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium.

Erectio præd. Provincie 8. Cenobii constituta sub tit. S. Joachim.

Clausula.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicut in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Congregatio-

nis Trinitariorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII. Jan. MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CVII.

Extenditur in perpetuum Indulgentia plen. pro Ecclesiis Ordinis Prædicatorum die Festo Omnium Sanctorum.

Dat. 24. Jan. 1726. An. 2.

Clem. XI. Conf. ed. 1713. Jan. 13. P. 13. Concessa fuit Indulgentia Plen. perp. pro Ecclesiis ejusdem Ord. in Festo S. Pii V. Et hujus Conf. ed. 1726. Febr. 6. P. 2. Conceditur Indulgentia Plen. perp. pro septem Feriis sextis præcedentibus Festum S. Vincentii Ferrerii.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Alias fel. rec. Clemens PP. XI. Prædecessor Noster supplicationibus quondam Antonini Cloche, dum vixit Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, omnibus, & singulis utriusque sexus Christianidelibus vere poenitentibus, & Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis Fratrum, & Monialium Ordinis Sancti Dominici ubique locorum existentibus, die nona Novembris, qua solemnitas, seu commemoratio omnium dicti Ordinis Sanctorum ex Indulto Sedis Apostolicæ celebrari solet, a primis Vesperis usque ad occasum Solis diei hujusmodi singulis annis devote visitassent, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concessit, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris desuper in simili forma Brevis die 12. Decembris 1716. expeditis literis, quas ad decennium tantum valere voluit uberius continetur.

A Clem. XI. Indulg. præd. eisdem in decennium concessa fuit.

§. 2. Nunc autem Nos dum Cardinalatus honore fungebamur, memores, Indulgentiam hujusmodi pro prima vice a fel. me. Clem. PP. XI. Prædecessore pariter Nostro, tunc ad 25. annos pro omnibus Ecclesiis supradictis obtinuisse; precibus dilecti filii Thomæ Ripoll Magistri Generalis Ordinis prædicti nobis humiliter porrectis, uberiori paternæ charitatis benignitate annuentes, concessionem ab eodem Clemente XI. ipsaque literas, servata tamen ceteroquoniam illarum forma, & dispositione, in perpetuum auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus,

Extensio in perpet. præd. Indulg.

mus, & ampliamus, ac perpetuis futuris temporibus valere volumus, & decernimus. In contrarium facien. non obstan. quibuscumque.

§.3. Volumus etiam, ut presentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis presentibus, si forent exhibitae, vel offensa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV. Jan. MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CVIII.

Dat. 3. Febr. 1726. Ann. 2. Mandatur, servari Constitutiones Apostolicas in favorem Canonorum Regularium S. Antonii Abbatis editas.

Hujusmodi Constitutiones hic referuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Ad futuram rei memoriam.

AD Apostolicam Dignitatis apicem, meritis licet imparibus Divina dispositione evecti ea, quae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostri ad favorem Ordinum Regularium quorumcumque pie, provideque emanasse dicuntur, ut firma, atque illibata permaneant, Apostolici muniminis patrocinio cum id a Nobis petitur, libenter constabimus.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Canonici Regulares Ordinis Sancti Augustini habitus S. Antonii Abbatis nuncupat., ac etiam Felix Soler illorum Praeceptor Generalis, necnon Commendatores, & Superiores Domorum omnium, & Hospitalium dicti Ordinis, ac Praeceptores in Regnis Navarrae, Aragoniae, Cathaloniae, Valentiae, Majoricae, Minoricae existentes, quod ad magis conservanda pietatis opera, eorum Ordini a praedictis Romanis Pontificibus nempe Bonifacio VIII., Clemente V., Innocentio VI., Gregorio XI., Joanne XXII., Martino V., Eugenio IV., Calisto III., Sixto IV., Innocentio VIII., Leone X., Clemente VII., Paulo III., Gregorio XIII., & Clemente VIII. in eorum Constitutionibus quamplurima Indulta, & Privilegia concessa.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat iidem exponentes, ne eadem Constitutiones, & Privilegia in posterum ullam exceptionem pati possint, pro majori robore, & observantia, & ad consulendum perpetuae quieti, & tranquillitati Ordinis praedicti omnium eorumdem Romanorum Pontificum Praedecessorum, Constitutionum ad favorem dicti Ordinis Sancti Antonii Abbatis emanatarum, ut praefertur, ac singulorum Privilegiorum in illis contentorum, & praefertim illius Clementis PP. VII. circa quaestuationem privativam erigendi Altaria ejusdem S. Antonii Abbatis, illisque, quae incipit = Rationi congruit &c. a Paulo PP. III. confirmatae, atque ulterius Gregorii PP. XIII. cujus initium = Romani Pontificis &c. & successive ab eodem Clemente VIII. pariter confirmatae observantiam a nobis demandari summopere desiderant.

Exordium.

Preces eorumdem Canonorum.

Causae praesentis Constitutionis.

§.3. Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum, S.R.E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum, consilio, praedictas eorumdem Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones omnino juxta petita, dummodo Sac. Concilio Tridentino non adversentur, ac alias ab hac Sancta Sede, eisdem non fuerit specialiter derogatum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium servari mandamus: Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§.4. Decernentes pariter easdem praesentes Literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective in violabiliter observari debere; Sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari in contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die III. Februarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CIX.

Statuuntur nonnulla pro recta Justitiae in Alma Urbe administratione, & litigantium, praesertim Pauperum utilitate.

Clem. XI. Const. ed. 1701. Feb. 1. P. 1. erecta fuit Congregatio sublevarum Urbis, & hujus Constitutionis. ed. 1725. Oct. 15. P. 2. nonnulla Statuta fuerunt ad bonum Annuae regimem, & rei agrariae beneficium.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUMMI Apostolatus officium, divinitus humilitati nostrae commissum, eam sollicitudinem Nobis imponit, ut per Antecessorum nostrorum vestigia incurrentes, praeter fructuosam Dominici Agri culturam, negotia pariter, quae in hujus Almae Urbis nostrae publicis Magistratibus, Judiciariis, Tribunalibus, & Curis forensibus per Notarios, Cursores, Causarum, Procuratores, & quoscumque Actuarios geruntur, incorrupte, sincere, & minori, quo fieri po-

Mandatum observandi praedd. Const.

Clausula.

Dat. 9. Febr. 1726. Ann. 2.

Procurium.

potest Litigantium dispendio, & incommodo, majoris eorumdem Tribunalium, totiusque generalis Curiae decore, atque ornameto peragantur, ut litibus ad finem optatum perductis, ipsi Litigantes ab indebitis vexationibus, assiduisque molestiis, atque impensis tandem liberi evadant.

§.1. Hac Nobis cogitantibus recti viri, & Justitiae percupidi per suos libellos supplices, non sine magno animi nostri moerore, significandum curarunt, quorundam paucorum calliditates, nullo pacto ferendas, eo devenisse, ut in eadem forenses Curias, ac Tribunalia Urbana, licet probris, & spectatis viris frequentia, sensim irreperint: quae nisi illis mox occurratur, immo dico Justitiae detrimentum eo respiciere videntur, ut litigantes diutissime exagitent, litisque, eorum artibus per varias ambages in foro circumducta, dolosis subterfugis interminabiles, & perpetuae reddantur, itaut exiguum nummorum alteri creditam summam recuperaturus, diuturno iudiciorum gyro irretitus, deque foro in forum, translatus, summam sibi debita longe majorem, impendere, & persepe quod dolentes dicimus, a pecuniis, & amicis imperatus, ob angustiam rei familiaris in desperationem adactus, justam Causam prorsus deserere, & rem suam amittere cogatur.

Causae praesentis Constitutionis.

A Clem. XI. Card. Mariscotti, qui recta Justitiae administratione incumbere deputatus fuit.

§.2. Haec quam dedecent Tabellionum, & Causidicorum nomina, quibus fides alieni Juris commissa est, serio nos perpendentes, deque Fori, & Curiae Urbanae honore solliciti, quae toto Orbe suspiciente, viris integerrimis, scientia, & probitate conspicuis, suis Pontificibus Antecessoribus nostris maxime floruit, Ecclesiasticis appellacionum Causis celerime expediendis ex Universis Christianorum Provinciis ad eam confluentibus; ne unquam Nobis ipsis videntibus, pauci suo nomine prorsus indigni, caeterorum probitatem, & virtutis famam dehonestare videantur, gliscienti malo consulere decrevimus cui alias se re: Antecessor noster Clemens XI. pro sua sapientia consulere studuit. Is enim, ut hac in re publico bono prospiceret, fraudesque omnes in damnum litigantium latentes, vel emergentes, funditus evelleret, suo speciali Decreto, seu rescripto dato die prima Decembris anni 1702. dilectum filium Galeatum S. R. E. Tit. S. Laurentii in Lucina Presbyterum Cardinalem Mariscottum nuncupatum, virum cana fide, justitiae zelo, rerum usu, caeterisque virtutibus commendatum deputavit, qui singulas forenses Curias, & publica officia sedulo inviseret quem admodum vigilantis studio, nec dispari pietate, & religione, quindecim mensium spatio praestitisse compertus est.

§.3. Sed cum raro contingat, ut inter triticum zizania, & lolium non pullulent, ac succrescant, nos iterum eo rem processisse intelleximus, ut corruptele postmodum introducta nova remedia ex pastoralis munere nostro vehementissime flagitent. Idcirco ad Reipublicae utilitatem, incorruptaque Justitiae normam sancte custodiendam, mentis nostrae oculos paternae charitate intendentes, praemissorum consideratione, Populis imperio Sancti Petri subiectis, ac quorumcumque litigantium indemnitati, & solatio, quantum cum Deo possumus, consulere volentes, motu proprio, ex certa nostra scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine,

praesentibus Apostolicis literis nostris decernimus, & sancimus, singulis decennis per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices, aliquem ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, doctriam, & rerum peritia insignem deligendum, qui auctoritate Apostolica, tanta rei necessaria plenissime instructus, & huic muneri aptus, easdem Curias judicarias visitet, ac diligentissime recognoscat, an Decreta, & Sanctiones de iis bene gerendis per Romanos Pontifices Antecessores nostros edite impleantur, non volque abusus, si qui sint, tollere satagat, prout ejus prudentia opportunum censerit.

§.4. Hujusmodi autem generalem visitationem formalem, & materialem omnium, & singulorum Archiviorum, omniumque, & quorumcumque Officiorum, & Curiarum in Urbe existentium, cum facultatibus necessariis, & opportunis reformandi, corrigendi, statuendi, & decernendi peragere valeat. Ad haec omnia, & singula Notariorum cujuscumque Curiae, Tribunalis, & Magistratus tam Ecclesiastici, quam secularis; Secretariorum Camerae Apostolicae, Cursum, & Mandatariorum officia, per seipsum visitare, inspicere, sibi que omnia exposita, & patefacta rimari, & contrahere possit, diligentissime exploraturus Scripturas, Codices, & eorum folios, & pluteos, ut plene videat, an ea, quae decet fidelitate observentur, suaeque executioni mandentur ordinationes ab Antecessoribus nostris vulgatae, praesertim vero quaecumque idem Cardinalis Mariscottus in jam dicta visitatione sua observanda mandavit.

§.5. Ad eundem pariter Cardinalem Visitatorem, nunc, & in posterum deputandum, pertinebit extrajudiciales Informationes, quibus exacte instruat, accipere, & quaerere etiam, utrum recursus ad Nos facti, eidemque Cardinali communicandi, vel alii, durante visitatione, faciendi circa quoscumque abusus, & defectus in easdem Curias introductos, vel introducendos, justitiae, & terminationi Causarum, praesertim pauperum litigantium, obfuturos, vere inolescere, & existere comperiat. Quos si Cardinalis Visitator veros esse deprehenderit, vel fortasse alios etiam sine cujuscumque recursum, in rebus judicariis vigere observaverit, eidem incumbere volumus, ut de personis, actisque secreto edoctus, unde ejusmodi abusus, debetum Justitiae cursum pro pauperibus litigantibus impediens, oriatur, eos omnino tollere valeat, Decretisque, & Statutis suis opportunis prospicere, ne amplius introducantur. Notarios quoque, Substitutos, Cursores, & Causidicos, caeterosque in dolo repertos ad tempus ab officio sine ordine judicario, & ex conscientia informata, suspendere possit: sique perpetua suspensione opus fuerit, de hoc Nos, vel Successores nostros Romanos Pontifices monitos reddat. Quod etiam factum volumus quocumque crimina, quibus gravior poena debeatur, in eadem visitatione detegentur. Denique Cardinalis visitatoris oculata cognitio, & circumsperta prudentia Nobis, nostrisque Successoribus suggerere debet, quidquid amplius tanta res pro bono Reipublicae, & Populi Nobis commissi tranquillitate postulare videbitur.

§.6. Ut autem celerius, & expeditius, quo fieri potest, vota nostra, justitiam, & aequitatem respicientia, suum exitum consequantur,

Quae a praed. Card. Visitatore peragenda sunt, ejusque facultates describuntur.

Car-

Cardinali Visitatori facultatem impertimur mandata quaecumque etiam viva vocis oraculo ex Nobis accepta, illis, ad quos pertinebit, referendi, & oretenus per nos imperata executioni mandandi: quibus relationi, & mandatis, iustu nostro factis, plenam, & indubiam fidem ab omnibus adhiberi, & firmiter obtemperari, tanquam mandatis nostris Apostolicis, omnino volumus, & jubemus. Præterea eidem Cardinali, omnium Curiarum Visitatori, facultatem his literis nostris concedimus eligendi pro eadem visitatione materiali, & formali alios Convisitatores rerum peritos, seu Prælatos, seu forenses, & curiales viros; suo arbitrio, pro diversitate Curiarum visitandarum, mutandos: qui Convisitatores suffragio consultivo in rebus, & casibus ex arbitrio Visitatoris pendentes, potiantur. Idem etiam Cardinalis Visitator sibi Notarium in munere Cancellarii sumat, & Cursorem, quos ex quacumque Curia sibi sumendos judicaverit, eorumque opera in visitatione utatur ad conscribenda, & quibus opus fuerit nuncianda Decreta, & acta: eosdemque notarium, & Cursorem pro arbitratu suo mutabit secundum Curiarum diversitatem. Item porro Notarius, & Cursor a Cardinali Visitatore secum assumti, exacte, & fideliter suum munus in visitatione exequantur, pro laboribus suis debitam mercedem accepturi. Tota autem visitatio intra annum compleatur, ab initio ejus computandum nobis reservata facultate eam prorogandi, ut res postulare videbitur.

Cardin. Petra
primus omnium
ad hoc munus
eligatur.

§.7. Jam vero primum hujusmodi Visitatorem præmissis facultatibus, muneri opportunis, instructum, post maturam deliberationem, unum ex pluribus per nos putavimus eligendum dilectum Filium nostrum Vincentium S.R.E. Tituli S. Honuphrii Presbyterum Cardinalem Petram nuncupatum, Virum utraque Jurisprudentia eximium, pari animi virtute, atque integritate præstantem, rerum experientia, & consilio apud recolendam me. Prædecessores nostros, utrumque Innocentium XII., & XIII., & eo amplius apud Clementem XI., nosque ipsos in plerisque hujus Romane Sedis gravibus negotiis adhibuit, & probatum, quodque hac in re magno refert, olim in Curia forensi Judicem. Hic ergo auctoritate nostra munitus easdem Curias visitabit, quæque corrigenda, emendanda, & moderanda censebit, emendare, corrigere, & moderari sataget, & litigantium utilitati juxta animi nostri sensum, propensamque ad sublevandos Populos nostros voluntatem, consulat: volentes, ut quaecumque ab eodem Cardinali Visitatore decreta, statuta, emandata, correctæ, ordinatæ fuerint in præmissis, ea inviolabiliter observentur, idemque firmitatis robur obtineant, quod illis inesset, si Nos ipsi eadem mandavissimus.

Claufulæ.

§.8. Præsentibus vero Apostolicas literas nostras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu, etiam ex eo, quod forsitan rem habentes ad id vocati non fuerint, vel ex quacumque alia causa quantumvis legitima, & juridica, ac etiam necessario exprimenda, notari, impugnari, aut in Jus, vel controversiam vocari, aut adversus eas quodcumque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel sub quibuscumque aliis Constitutionibus, & literis

Apostolicis in contrarium etiam pari motu, & consistorialiter editis, vel edendis, aut alias quomodolibet contrariis dispositionibus nullatenus comprehendendi posse, sed validas, & efficaces semper fore, & esse volumus. Sicque, & non aliter per quoscumque Judices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere: & quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.

§.9. Non obstantibus eorundem officiorum, Archiviorum, & Curiarum forensium erectionibus, Constitutionibus Apostolicis, aliisque eorundem Curiarum Reformationibus, Statutis, Consuetudinibus, iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis in genere, vel in specie quomodolibet concessis, approbatis, & renovatis: quibus omnibus, alias in suo robore permanentibus, hac vice speciatim, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum Prædie nonas Februarii Anno Domini Incarnationis Millesimo Septingentesimo Vigesimo sexto Pontificatus nostri Anno Secundo.

CX.

Conceditur Indulgentia in 7. feriis sextis, præceden. Festum S. Vincentii Ferrerii pro Ecclesiis Fratrum Ord. Prædicatorum.

Dat. 6. Febr.
1726. An. 2.

Alia hujus Const. ed. 1726. Jan. 24. P. 2., Extensa fuit in perpetuum Indulgentia plen. pro Ecclesiis eorundem Fratrum in Festo omnium Sanctorum.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Universis Christianis fidelibus presentibus literas inspecturis salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUM sicut accepimus, in Ecclesiis Fratrum Ordinis Prædicatorum pia erga S. Vincentium Ferrerium, præsertim in septem feriis sextis ejusdem Sancti festum immediate præcedentibus devotio introducta fuerit, prout de præsentibus, etiam viget:

§.1. Nos ad eam conservandam, & augendam Fidelium Religiosorum, ac animarum salutem celestibus Ecclesiæ Theauris pia charitate intenti: omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione resectis, qui aliquam ex Ecclesiis dicti Ordinis in una ex prædictis feriis sextis per eos ad sui libitum eligenda devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§.2. In reliquis vero feriis sextis hujusmodi eidem Christianis fidelibus vere pariter poenitentibus, & confessis, ac sacra Communione resectis ali-

Causæ concessio.

Concessio Indulgent. plen. in una ex prædictis feriis.

Concessio aliarum Indulgent. in reliquis feriis.

aliquam ex prædictis Ecclesiis, ut supra visitantibus, & ibidem orantibus, qua feria prædictarum adegerint septem annos, & totidem quodragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiæ consueta relaxamus Præsentibus ad septennium tantum valituris.

Claufulæ.

§.3. Volumus autem, quod si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint, quodque præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Februarii MDCXXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CXI.

Extenditur Constitutio super receptione Fratrum Prædicatorum Congregationis S. Sabinæ in Provinciam Lombardiæ, ad Provincias Romanam, & Venetam pro Congregatione S. Marci, & S. Jacobi Veneti.

Hujusmodi Constitutio edita fuit 1725. Maji 5. P. 1.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§.1. Alias nos Provincie Lombardiæ Ordinis Fratrum Prædicatorum levamini, & indemnitati consulere, necnon Congregationis S. Sabinæ nuncupatæ ejusdem Ordinis ex diversis dictæ Provincie Lombardiæ Conventibus auctoritate Apostolica institutæ, religiose tranquillitati prospicere volentes, statuimus, & ordinavimus, quod si deinceps per Vicarium Generalem ipsius Congregationis S. Sabinæ dimitteretur aliquis Frater, qui e Provincia Lombardiæ præfata, ejusve Conventibus in eadem Congregationem venisset, ac susceptus in ea fuisset, tunc Prior Provincialis dictæ Provincie Lombardiæ illum recipere, & in primæ suæ affiliationis, aliove ejusdem Provincie Conventu collocare, necnon de tali colloca-tione Vicarium Generalem prædictum certiorare teneretur, nisi tamen ageretur de dimissione Fratris in præfata Congregatione recepti, qui ob crimina durante sua permanentia in ejusmodi Congregatione commissa carceribus mancipatus, vel de eis inquisitus, aut habituali, gravique mentis, aut corporis infirmitate in eadem Congregatione contracta correptus reperiretur, quo casu istiusmodi Fratrem, nisi post finitam causam adversus eum instructam per ejus absolutionem ex capite innocentie, vel poenæ illi injunctæ implementum, aut sanitatem receptam respective remitti non posse decrevimus: Quo vero ad Fratres, qui habitum in prædicta Congregatione suscepissent, Vicarius Generalis eis ab ipsa Congregatione abeundi, licentiam concedere, illosque dimittere nequi-

ret, nisi prius de invento benevolo receptore in aliquo Conventu cujusvis Provincie prædicti Ordinis Fratrum Prædicatorum legitime do-cuisset, ac hoc modo, & cum isto discrimine de cætero in præmissis procedendum esse declaravimus, ac præcepimus, & alias, prout in nostris in simili forma Brevis die 5. Maji anni proxime præteriti expeditis literis uberius continetur.

§.2. Cum autem sicut dilectus filius Dominicus Ponsi sacre Theologiæ Magister, ac Provincie Romanæ Ordinis prædicti Exprior Provincialis, necnon Magistri Generalis totius Ordinis pro Provinciis Italiæ Socii, Nobis nuper exponi fecit, binæ aliæ Congregationes, una scilicet S. Marci, & altera Beati Jacobi Veneti ex nonnullis Provinciarum Romanæ, & Venetæ respective Conventibus ejusdem Ordinis adinstar prædictæ Congregationis S. Sabinæ simili auctoritate Apostolica erectæ, vel approbatæ reperiantur, ipse vero Dominicus prædictas literas nostras, ac in eis super dimissione Fratrum edicta Congregatione S. Sabinæ disposita ad binas Congregationes, ac Provincias prædictas extendi, ac in eis deinceps servari plurimum desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.3. Nos igitur ipsum Dominicum specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon dictarum literarum nostrarum tenorem, & alia quæcumque, etiam specificam, & individuan-mentionem, & expressionem requirementis præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictas nostras literas, ac dispositiones, & ordinationes circa Fratrum e memorata Congregatione Sanctæ Sabinæ dimissionem, eorumque in aliis Conventibus dicti Ordinis collocationem in ipsis factas, ad Congregationes S. Marci, & Beati Jacobi Veneti, ac Romanam, & Venetam Provincias prædictas auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus, & ampliamus.

§.4. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis Congregationum, ac Provinciarum hujusmodi, etiam Juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis in contra-

Preces Magistri Generalis pro extensione præf. Congreg.

Claufulæ.

rium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, atque omnibus, & singulis, quæ in nostris literis prædictis volumus non obstat, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII. Februarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CXII.

Dat. 13. Febr. 1726. An. 2.

Prohibetur Regularibus, & Claustralibus omnibus transitus ad alium Ordinem, præcipue Hospitalarium, aut Militarem, sine peculiari Romani Pontificis licentia.

Alia hujus Const. ed. 1725. Apr. 4. P. 1. decretum fuit ut Regulares Apostata ad suos Ordines impune teneri possint.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cause præfatis Constitutionis.

Licet Sacra Tridentina Synodus, ut integritati disciplinæ Regularium prospiceret, provido consilio statuerit, neminem cujuscumque Ordinis Prælatum, vel Superiorem vigore cujuscumque facultatis aliquem ad habitum, & professionem admittere posse, nisi, ut in ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in Claustro perpetuo maneat, & licet Pius PP. V. Prædecessor noster Constitutionem ediderit, qua omnia privilegia abrogavit, quibuscumque Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, & locis piis olim concessa, excipiendi, & retinendi Fratres, Monachos, Canonicos, alioque quamvis in ordine mitiori professos; prohibendo, ne illi in posterum ad habitum, & professionem Regularem admitterentur, etiam si perpetuo manere, & vivere deberent in Claustro; Nihilominus viri pietate, & prudentia, conspici nobis exposuerunt, se longa experientia didicisse, nosque ipsi, qui Deo favente, hac ipsa die regulare Institutum Ordinis Prædicatorum in adolescentia professi fuimus, & adhuc profitemur, sæpe longo usu cognovimus, prædictas sanctiones, & cautelas pro recta Ordinum Regularium disciplina adversus calliditatem, & malitiam hominum tuenda, parum sufficere. Siquidem quamplurces contigit, & in dies contingere videmus, quospiam, Ordinis Regularis, & Claustralis Institutum professos, deinde postquam illud apostasia deseruerunt, vel etiam aliquando sine apostasia, peculiare ob causas, ejusmodi transitus facultatem postulare, & impetrare consuevisse a propriis superioribus, se privilegium subditis suis Regularibus eundem transitum ad alias Religiones concedendi habere jactantibus: vel ejusmodi facultatem sibi dari procurare a S.R. Eccles. Cardinalibus Legatis, vel ab ejusdem Eccles. Cardinali Majori Pœnitentiario, & non raro a nostra Civitatis Avenionensis Vicelegato, vel ab alterutra ex Congregationibus Ven. Fratrum, Nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis, & Episcoporum, & Regularium præposita, & Sa-

cri Concilii Tridentini Interpretum. Quæ facultas transendi ad profitendam regulam alterius Religionis, in qua nulla vigeat Claustralis, & Regularis observantia; vel in aliam Religionem Hospitalariam, aut Militarem, ubi etiam vigeat Claustralis, & Regularis observantia, compluribus Decretis earundem Congregationum, & optimo statui Ordinum Regularium, maxime opponitur.

§.2. Quare præcipua sollicitudo nostra erga omnes Regularium Familias, quas, veluti acies Castrorum, ad excubias Militantis Ecclesie ordinatas, magno, & vere paterno amore complectimur, nos monet, ut præsentis Constitutione in suo pleno robore, & vigore perpetuis temporibus duratura, integri eorumdem Regularium disciplina providentes, prædictam corruptelam evellere studeamus. Itaque omnibus, & singulis Regularibus in quocumque regulari, & claustrali ordine professis, transitum ad quemcumque alium ordinem, in quo claustralis, & regularis observantia non vigeat, post maturam hac de re habitam deliberationem, motu proprio, & ex certa scientia omnino prohibemus.

§.3. Transitum etiam ad quemcumque ordinem Hospitalarium, vel militarem, vel hospitalarium simul, & militarem, etiam si in hujusmodi ordinibus claustralis, & regularis observantia vigeret; ac etiam si ageretur de Apostata, vel non Apostata a primævo suo Ordine ad ejusmodi alium transire volente, pari modo prohibemus. Insuper quibuscumque Superioribus Regularium S.R.E. Cardinalibus Legatis, ejusdem S.R.E. Cardinali Majori Pœnitentiario, Nunciis Apostolicæ Sedis, Vicelegato Avenionensi, utrique Congregationi Cardinalium, negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, Sacrique Concilii Tridentini Interpretum per præfentes tollimus, revocamus, & abrogamus quæcumque privilegia, auctoritates, facultates, & consuetudines ejusmodi transitum concedendi cuicumque Regulari claustrali, Apostata, vel non Apostata, quacumque de causa; quamvis etiam consensus, tam Superioris, in cuius ordine antea professus fuerit, quam alterius Superioris, in cuius ordine novam professionem emittere voluerit, accedat.

§.4. Nobis autem, nostrisque Successoribus Romanis Pontificibus pro tempore exituris similes concessionem penitus reservamus, ita ut in posterum S.R.E. Cardinales Legati, ejusdem Romanæ Ecclesie Cardinalis Majori Pœnitentiarius, Nuncii Apostolicæ Sedis, Vicelegatus Avenionensis, prædictaque Congregationes in examine Libellorum supplicum, hujusmodi transitus postulantium, hac de re nihil omnino discernere possint, nisi nostro, vel Romani Pontificis pro tempore exituri speciali Rescripto, ejusmodi libelli supplices ad illos remissi fuerint: Quo Rescripto etiam obtento, nihilominus transitus facultatem, etiam si Causa ejus concedendi summæ viderentur, nullo modo concedere valeant, nisi postquam Nobis, & pro tempore exituro Romano Pontifici, totius rei distincta, & accurata relatio facta fuerit, & postquam a nobis ipsis, vel a Romano Pontifice pro tempore exituro earundem Causarum pondus approbatum, & transitus facultas concessa fuerit. Eisdem vero præfentibus literis nostris quoscum-

Prohibitio transendi ad ordinem, in quo claustralis, & regularis observantia non viget.

Uni Pontifici, præterea nemini, hujusmodi transitus concedendi facultas reservatur.

que transitus, non observato ad unguem harum tenore, imposterum faciendos, nullos, invalidos fore, & esse declaramus; Ordinariis loquor concedentes, vel ad illos extendentes eandem facultatem procedendi in eos, qui deinceps præsentis Constitutione non observata, ad alium Ordinem transire ausi fuerint, quam Tridentina Synodus Ordinariis concessit in Regulares extra Monasteria vagantes, & crimina committentes.

Clausula eii Executionum deputatione.

§.5. Decernimus quoque, præfentes de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, seu impugnari, aut quacumque ratione, tamquam fortasse contra alias Apostolicas, canonicasque Sanctiones, jampridem usu receptas facientes, aut quovis alio quæsito colore, in Jus, & controverfiam vocari, ac ad terminos Juris reduci, non posse, sed quæcumque validas, efficaces, ac perpetuo duraturas: Sicque in præmissis universis, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, ac Sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, ac Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi, & diffiniendi facultate, & auctoritate, judicari, interpretari, & definiri debere; nec non irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.6. Quocirca mandamus universis locorum Ordinariis, ut, quando, ubi, & quoties opus fuerit, easdem præfentes solemniter publicantes, eis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant; Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac in Concilio, etiam generalibus æditis quibuscumque: Necnon Ordinibus ejusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis: privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, illorumque Superioribus, & Fratribus quomodolibet, etiam pluries concessis, & approbatis; Quibus omnibus, & singulis etiam pro sufficienti illorum, derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum infererentur, præfentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, motu simili derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio penalit.

§.7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ sanctionis, prohibitionis, decreti, Mandati, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dmnicæ millesimo septingentesimo vigesimo sexto Idibus Februar. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Statuitur, ut Minores de Observantia semper, & ubique præcedentia super Reformatos gaudere debeant. Dat. 14. Febr. 1726. An. 2.

De præcedentia in Processionibus Canonicorum Regularium Lateranensium Ord. Sancti Augustini supra omnes vide hujus Const. edit. 1727. Junii 21. P. 4.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii Nobis divinitus injuncti sollicitudo Nos admonet, ut omni cura, ac studio ad ea jugiter intendamus, per quæ Christianissimum sub suavi arcioris Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino proferre jugiter satagentium quieti, & tranquillitati consulitur, & quæ Religiosum eorum propositum turbare possunt, remouentur, ut nulla re præpediti, ac sublatis animorum disidiis, & æmulationibus juxta regularia suorum ordinum instituta in pacis amoenitate gratum Altissimo impendant famulatum, felicioribusque in dies in via Domini proficiant incrementis.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, tametsi Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, Excalceati, Recollecti, ac Reformati respective nuncupati unicum corpus Religionis, ac ordinem insimul constituant, atque sub uno, eodemque Capite, & Ministro Generali, et si sub diversis Constitutionibus in Ecclesia Dei militent, antiquus tamen usus, ac generalis prope consuetudo invaluit, ut ipsi Fratres de Observantia, ubique nedom in Galliarum, Hispaniarum, Portugallie, & Algariorum Regnis, ac universa Germania, verum & in hac alma Urbe nostra, & reliqua parsim Italia, ubi sel. rec. Gregorii XIII. Prædecessoris nostri Constitutio super præcedentia edita maxime viget, eosdem Fratres Excalceatos, Recollectos, & Reformatos in Processionibus, aliisque tum privatis, tum publicis actibus, & functionibus quibuscumque, nulla habita ratione majoris, vel minoris antiquitatis suorum Conventuum præcedant: solumque aliquot ab hinc annis pro parte dictorum Fratrum Reformatorum nonnullæ quæstiones super ejusmodi præcedentia memoratis Fratibus de Observantia in quibusdam Italie Provinciis motæ fuerunt sub obtentu, quod quidam eorum Conventus tempore, & fundatione illius Fratrum de observantia forent priores, licet in reliquis ejusdem Italie Provinciis Fratres de Observantia prædicti præcedentiam præfatam pacifice obtineant, etiam si eorum Conventus post alios Fratrum Reformatorum inibi erecti reperiantur.

§.2. Nos considerantes ejusmodi controversias inter Fratres dicti Ordinis, qui vota sua in spiritu humilitatis, & paupertatis Domino exhibere profitentur minime decere, ac Turbas in eundem Ordinem non sine scandalo, ac maturæ inter eos charitatis detrimento invehere posse, adeoque illas omni ratione recidere, unam-

Exordium.

Minores de Observantia semper cæteris omnibus præcedere consueverunt.

que, ac certam hac in re formam ab omnibus Fratibus Reformatis predictis servandam prescribere volentes, necnon Gregorii Predecessoris literarum predictarum tenorem, & alia quaecumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirementia presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes, motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque Apostolica potestate plenitudine, quascumque causas, lites, seu controversias, inter Fratres de Observantia, & Reformatos predictos super precedentia prefata ubilibet, & coram quibusvis Iudicibus quomodolibet motas, ac pendentes, ad Nos harum serie advocamus, illasque penitus, & omnino extinguimus, ac superprimimus, & perpetuum desuper silentium imponimus. Utque deinceps idem usus, ac mos, qui in Urbe prefata, ac alibi inter Fratres de Observantia, & Reformatos servatur, ac retinetur, in universa Italia observari, & retineri debeat, quod scilicet dicti Fratres de Observantia ubique in Processionibus aliisque actibus tam publicis, quam privatis, digniorem, & honorabiliorem locum obtineant, ac ipsos Fratres Reformatos precedant, motu, scientia, & potestate plenitudine paribus tenore presentium statuimus, & ordinamus; Districte in virtute Sanctae obedientiae, & sub excommunicationis majoris latae sententiae eo ipso per contrafacientes incurranda poena omnibus, & singulis Fratibus Reformatis Ordinis predicti nunc, & pro tempore existentibus inhibentes, ne deinceps super praemissis, eorumve occasione Fratres de Observantia hujusmodi molestare, inquietare, perturbare; aut quoquo modo impedire audeant, vel praesument.

Clausula. §.3. Sicque per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, San. Rom. Eccles. Cardinales etiam de Latere Legatos, & alios quoscumque auctoritate, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§.4. Quocirca Ven. Fratibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis locorum Ordinariis per presentes Motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel eorum quilibet per se, vel alium, seu alios, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum de Observantia fuerint requisiti, eis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra praemissa, juxta presentium continentiam, & dispositionem observari: Contradictores quoslibet, & Rebelles, ac praemissis non parentes per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna Juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis.

Derogatoria. §.5. Non obstantibus dicti Gregorii Predecessoris literis, ac nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, aliisque quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, ac Fratrum Reformatorum predictorum, illorumque

Conventuum, Domorum, & Locorum; etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam per modum Statuti perpetui, etiam motu scientia, & potestate plenitudine similibus, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & inferrentur, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, & ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§.6. Volumus autem, quod presentium literarum trasumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quae presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anno Piscatoris die XIV. Februarii MDCCXXVI. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CXIV.

Declarantur nulla gesta per Saecularem Potestatem in Ducatu Sabaudiae adversus Monasterium S. Bernardi in Valesia Ordinis Canonico-regularium S. Augustini.

Dat. 14. Febr. 1726. Ann. 2.

Inn. XIII. Const. ed. 1722. Mar. 27. P. 1. declaratum fuit nullum decretum Senatus Lucernae super moderatione expensarum pro Monialibus: Et hujus Const. ed. 1728. Sept. 25. P. 5. annullatur Constitutio Ordinum Regni Poloniae contra Nuncium & Nunciaturam libertatem.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

IN sublimi Sedis Apostolicae specula meritis licet imparibus constituti, Ecclesiasticam libertatem, & immunitatem, aliaque Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Conventuum, ac locorum piorum quorumlibet, illorumque personarum Jura ubique Sarta testa tueri, ac adversus quaecumque, per quae illis aliquid

Exordium ab officio Sarta testa vindicandi Jura Ecclesiarum.

detrimenti inferri possit, tradita Nobis divinitus auctoritate vindicare tenemur, sicut omnibus matura considerationis trutina perpensis, aequitati, & iustitiae, reatque Ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

Multa per Saecularem Potestatem adversus personam, & bona predicti Monasterii perpetrata fuerunt.

§.1. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri notitiam, non sine intimo Animi nostri moerore pervenit, multa aliquot ab hinc annis per Saecularem potestatem in Ducatu Sabaudiae, ac Pedemontii Principatu adversus personas, & bona Monasterii, seu Hospitalis Magni Sancti Bernardi nuncupat. in Valesia Ordinis Canonico-regularium S. Augustini non minus temere, quam nulliter attentata fuerint, ac novissime eadem Saecularis potestas eo audacia devenit, ut dilectum filium Ludovicum Bonifacium Modernum ipsius Monasterii, seu Hospitalis Praepositum, priusquam ejusmodi Praepositurae possessionem apprehendere posset ad praesentiam sibi fidelitatis indebitum juramentum, necnon ad dictam Praeposituram tamquam de Jure patronatu ejusdem Saecularis potestatis recognoscendam induxerit, seu verius vi, metuque compulerit. Quibus exactis tum demum praedicto Ludovico Bonifacio permisit, ut possessionem Praepositurae praefatae, quam eatenus assequi nequiverat, adipisceretur.

§.2. Porro, quamvis explorati Juris sit, ea omnia, quae in praedictum Ecclesiarum, ac Personarum Ecclesiasticarum, earumque immunitatis praesertim a Laicis quovis modo parantur, nullius prorsus esse roboris, ac momenti, ac tam Juramentum fidelitatis, quam recognitiones asseri Juris patronatus per dictum Ludovicum Bonifacium emissae, seu potius ab ea extorta nullum plane Jus, aut titulum ipsi Saeculari potestati tribuere, minusque ejusdem Monasterii, seu Hospitalis libertati aliquid detrahere posse, adeoque illa speciali improbatione, & castigatione nostra nequaquam indigere; nihilominus, ne in tam aperta Jurium Ecclesiasticorum oppugnatione torpescere videamur, ac Monasterii, seu Hospitalis praefati indemnitati per amplius consulere volentes, necnon omnium, & singulorum, quae in praemissis, seu eorum occasione quovis modo gesta fuerunt, seriem, causas, & circumstantias, etiam aggravantes, aliave quaecumque, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirementia, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exacte specificatis habentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolica potestate plenitudine omnia, & singula in praemissis, seu eorum occasione per dictam Saecularem potestatem adversus bona, & personas Monasterii, seu Hospitalis praedicti quovis modo decreta, acta, gesta, & attentata, necnon Juramentum fidelitatis eidem Saeculari Potestati a memorato Ludovico Bonifacio Praeposito praestitum, ac quaecumque recognitionem asseri Juris patronatus per eum, sicut praemittitur, facta cum inde fecerit, & forsitan quodcumque fecerit penitus, & omnino nulla, irrita, invalida, injusta, damnata, reprobata, & a non habentibus potestatem de facto praesumpta, nulliusque plane roboris, momenti, vel efficaciae ab initio fuisse, & esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum observantiam teneri, imo nec illa ullatenus observari posse, aut debere; Neque ex il-

Declarantur praedicta omnia attentata, ac nulla; nulliusque roboris esse.

lis cuiquam aliquod Jus vel actionem; aut titulum etiam coloratum, vel pollidendi, ac praescribendi causam acquisitam fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, vel competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec factae fuissent pro non extantibus & non factis perpetuo haberi debere, tenore presentium decernimus, & declaramus.

§.3. Et nihilominus ad majorem, & abundantiorum cautelam, & quatenus opus sit, illa omnia, & singula motu, scientia, deliberatione, & potestate plenitudine paribus damnamus, reprobamus, revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, & abolemus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus, ac quatenus itidem opus sit, dictum Monasterium, seu Hospitalis Praeposituram, illiusque Praeposituram, ac bona, & Jura, ac illorum respective personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

Bona, & Jura praefati Monasterii in integrum restituantur.

§.4. Firmas praeterea, ac salvas esse volumus, atque decernimus quascumque censuras, & poenas Ecclesiasticas, quas ejusdem Saecularis Potestatis administrari, qui praemissa perpetrarunt, mandarunt, vel rata habuerunt, seu in eis auxilium, consilium, vel favorem, quomodolibet praestiterunt cuiusvis praeminentiae, & dignitatis fuerint, propter eadem praemissa quovis modo incurrerunt; facultate quoque Nobis, & Sedi Apostolicae expresse reservata quatenus illi minime redierint ad cor suis loco, & tempore adversus illos ad alia Canonica, & severiora remedia procedendi.

Decernuntur firmas censuras, quas incurserunt administrari Saecularis potestatis ob praedicta attentata.

§.5. Decernentes easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specificam, & individuum mentionem digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causeque propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, & iustificatae non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata, causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis laesione nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque Juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestate plenitudinae similibus concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcusse observari: sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque

Clausula.